

h. 62, 52

X 2002 544



QVOD DEVS FELIX ESSE IVBEAT,
AVSPICIVM IMPERANDI RITE FACTVM
REVERENDISSIMO SERENISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO II.
SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE ET MONTIVM, NEC NON ANGRIAE ET WESTPHALIAE DVCI, POSTV-LATO ADMINISTRATORI EPISCOPATVS MERSBURGICI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE ET LVSA-TIAE VTRIVSQUE, PRINCIPI HENNEBERGIAE, COMITI DE MARCA ET RAVENSBERG, DYNASTAE RAVENSTEINI, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

EX ANTIQVA FORMVLA

PIVS FELIX AVGVSTVS SEV PERPETVVS AVGVSTVS,

A. D. VIII DECEMB. AB HORA II.
MVSAS CONGRATVLATVRAS
ESSE INDICAT

M. CHRISTOPHORVS GELLARIVS.

TYPIS GOTTSCHICKIANIS.







Quantum putamus Dei munus ac beneficium esse, quod inter luctus atque funera gratulantium voces ac bona verba audire licet? Cœli hæc indoles atque natura est, vt inter sæuissimas tempestates serenum aliquando eluceat, saltim proxime illarum impetum & procellas insequatur. Recenti memoria hæret, hærebitque perpetuo, tam atram tempestatem XV Cal. Novembr. irruisse, vt in medio die noctem pæne supremam timeremus, extincto benefico sidere, indulgentissimo PATRIAE PATRE, ex cuius venerabili ore spiritus noster trahebatur, a quo salus & incolumitas nobis omnibus diuturna, non autem, obstante fatorum lege & humanarum rerum fragilitate, perpetua fuerat. Hos inter terrores atque squalidos luctus, quæ Dei æterna benignitas est, NOVVM SIDVS illuxit, quod lucem caliganti nostro cœlo reddidit, & tetram tempestatem, quæ nos consternatos grauitè, tantum non exanimaauerat, sua serenitate discussit. Hinc depulso timore noua spes exorta est, spes publica & securitas rediit, & felicitas temporum nostrorum restituta est. Quidni ergo gratulandi & bene sperandi locus sit? quod tum faciunt vniuersi proceres, ciues, & singuli etiam infimæ sortis, qui sibi ab hoc NOVO LVMINE benignitatis radios exspe-

) (2

ctant;

stant; nostræ etiam Musæ idem sibi faciendum esse suum munus, suas partes existimant, quippe non minora sunt, quæ sibi bona ex hoc nouo LUMINIS exortu confidenter sperant, atque certo pollicentur. Quod vero officium illarum est assiduo studio annales rerum gestarum reuoluere, & in historiis, præsertim Romanis, se exercere; conuenientissimum putarunt esse, in iisdem monumentis peruestigare, quæ veterum faustæ piæque voces fuerint, quibus NOVIS PRINCIPIBUS bene precati sunt, sibi vna & publicæ rei de felicitate, quam sperabant, gratulantes. Nota sunt, quæ ex Augusto felicitatis, ex Traiano bonitatis omnia captauerint: nec obliuioni dantur auspiciatissimæ voces, quibus senatus atque populus Romanus M. Aurelio Claudio, Gallieni successori, & M. Aurelio Probo, nec non M. Claudio Tacito, Romanis Imperatoribus, publice & solenniter, quum imperium suscepissent, acclamauerunt. Auspiciatius vero nihil, nihil faustius videtur nostris Musis esse, quam honorifica illa nomina, quæ cum singulis ferme Principum Romanorum nominibus in antiquis nummis & vetustis marmoribus expressa leguntur, PIVS, FELIX, AVGVSTVS, & interdum PERPETVVS, AVGVSTVS. His enim contineri putant, quidquid bonorum precari nouis Principibus possunt, qui ditioni illorum subiecti sunt; vel sibi ipsi ac reipublicæ ex illorum æquo ac felici imperio sperare. Quamvis autem infinita prope exempla sint, quibus hæc comprecationes confirmari possunt: non tamen obuium plane aut expeditum est, quo tempore hæc faustissima cognomen cum principum nominibus, boni ominis ac auspicii causa, in nummis & lapidibus coniungi cœpta fuerint.

P I E.

PIETATIS nomen oppido antiquum est, nec primum Antonino, Imperatori Romano, aut soli Metello, Numidici filio, tributum ab Romanis fuit: sed Cn. Pompeio Magno etiam idem datum fuisse, nummi superstites documento sunt, qui quod raritate commendantur, iuuat, quæ insculpta verba tenent, integra recitare. Franciscus Mediobarbus Biragus in additis ad Occonis Numismata vnum refert quod cum capite Pompeii has voces siue literas ostendit: MAGN. PIVS IMP. ITER. hoc est, Pompeius Magnus, Pius, Imperator iterum, quo modo etiam interpretandus est, quem ipse Adolphus Occo descripsit: M. PIVS IMP. ITER. Singula etiam & separata PII vel FELICIS nomina in aliis quoque Imperatoribus notare licet, quemadmodum Maximini Thracis nummo, quem Ioannes Vaillantius expressit, insculptum videmus: MAXIMINVS PIVS GERM. quamvis nihil, quod pium æquumue sit, in moribus eius historici obseruauerunt. Sed non de separatis nominibus, verum de coniunctis PIVS, FELIX, AVGVSTVS, eiusque coniunctionis origine disquirendum esse constituimus, cum certum omnino sit, posteriori ætate, quam primorum Cæsarum temporibus, cognomina hæc frequentius in nummis & aliis inscriptionibus læti ominis aut gratulationis causa, ab Romanis fuisse posita. Lubet ergo primum numismata Imperatorum, deinde etiam lapidum inscriptiones perlustrare. Aureum eumque rarissimæ notæ nummum ex cimelio regio laudatis Vaillantius ostendit cum Decii Imperatoris laureato capite & epigraphe IMP. C. Q. TRAI. DECIVS P. F. AVG. Quod integrius ac sine notis inscriptio Feltriensis apud

Gruterum refert, IMP. CAES. C. MESSIO QVINTO
 TRAIANO DECIO PIO FELICI AVG. Aemiliani,
 qui argenteus est in eodem Regis Galliarum thesauro, si-
 militer inscriptus legitur, IMP. CAES. AEMILIANVS
 P. F. AVG. Nec aliter Postumi ibidem conspiciendus num-
 mus habet, quam IMP. C. POSTVMVS P. F. AVG. Hic
 Postumus ille est, quem vulgo Postumium, sed male, ap-
 pellant, Galliarum fortissimus conseruator, quum Gallie-
 nus imperium deseruisset. Qui successerunt Principes
 longe vehementius præconiis hisce delectati sunt, vt vix
 liceat numisma inspicere, quo non P. F. AVG. Principis
 nomini adscriptum sit, vt testimonio abunde sunt, quos
 Diocletiani, Maximini Herculei, Constantini, Constan-
 tis, Constantii & aliorum nummos habemus. Antiquio-
 res autem haud facile inuenies, si paucos exceperis, in qui-
 bus præcipui sunt Imperatoris Commodi hanc epigra-
 phen præferentes: M. COMMODVS ANTONINVS
 PIVS FELIX AVG. BRIT. aut breuius, M. COMM.
 ANT. P. FEL. AVG. BRIT. Lapidis eiusdem fere æta-
 tis supersunt ex Septimii Seueri sæculo, cui & filio Cara-
 callæ, imperii participi, aliquot inscriptiones, præsertim
 in arcu Romano, ita consignatæ leguntur:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO SEVERO
 PIO PERTINACI AVG. ARABIC. ADIABENIC.
 PARTHIC. --- PATRI PATRIAE ET
 IMP. CAES. M. AVRELIO ANTONINO PIO FELICI AVG.
 --- FORTISSIMO FELICISSIMOQVE PRINCIPI.

Hæc de tribus coniunctis nominibus: PERPETVITA-
 TIS titulus, vt rarior est, ita etiam posterior, quamquam
 ia

in ipsa quoque antiquitate illius vestigia non leuiter expressa videantur. Rariores enim nummi, vnus Alexandri Seueri, inscriptus PERPETVITATI AVG. Veneriis in Petri Mauroceni, viri illustrissimi, pretioso thesauro; & alius Philipporum, patris & filii, nec non Galieni aliquis, AETERNITATI AVGG. insignitus, in cimeliis Gallicis custodiuntur. Ipsos autem Principes posterius æuum non raro perpetuos æternosue salutauit, quemadmodum Patauii antiqua inscriptio legitur AETerno IMPERATORI NOSTRO MAXIMO OPTIMOQVE PRINCIPI AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO; & in Romano lapide D. N. VALENTINIANO PERPETVO AC FELICI SEMPER AVGVSTO; & Eutropius Breuiario suo præscripsit: DOMINO VALENTI GOTHICO MAXIMO PERPETVO AVGVSTO. Sic enim hoc nomen titulis antea laudatis non raro insertum est hoc ordine: P. F. PERP. AVG. vt ex Constantii aliquot nummis apud Occonem intelligimus: sæpius demtis literis P. F. absolute PERP. AVG. in eiusdem Constantii, Valentis & aliorum numismatis. His igitur nominibus nostræ etiam Musæ sui officii admonitæ inter publicas acclamations suo NOVO NVTRICIO, quem Deus seruet, ea precabuntur, quæ prisci Romani suis olim Principibus, quum imperium iniissent, deuoto plausu apprecati feruntur. Quod omnes certatim suscipere & expedire gestiunt, id tribus nostri ordinis adolescentibus iniunctum est, atque ita inter eos diuisa opera, vt filius noster CHRISTOPHORVS CELLARIVS ex pio Pietatis voto; ERNESTVS autem WILHELMVS Herzog / Mersburgensis, ex sperato cursu
Feli-

Felicitatis : & BERNHARDVS Dannenfeld / Po-
meranus Stralsundensis, ex augustæ Perpetuitatis succes-
su, quisque officium suum, sed non suis modo, verum
omnium etiam verbis atque sensu pie, deuote, nec sine
omine felici, quamuis breuiter & pro ingenio, facturum
sit. Non multis precibus, vt moris est alibi, ad audien-
dum inuitamus, sed quemlibet officii sui, quod scimus
sponte & vltro facturum esse, officiose admonemus, aut,
si omnino pro veteri consuetudine precibus opus est, per
SACRVM CAPVT ET SALVTEM PRINCIPIS
optimi & rei publicæ nati, cuius SERENISSIMO NO-
MINI hæc nostra exercitatio dedicata est, rogamus & ob-
testamur, vt votis pro TANTO PRINCIPE suscipien-
dis interesse, animo ac lingua fauere, & suis nostras pre-
cationes iuuare tam cupide velit, quam enixe ab EO, qui
SPES PVBLICA est, salutem publicam & suam, felici-
tatemque temporum, eiusque perpetuitatem non solum
exspectat, verum etiam, vt omnia promittunt, certissi-
me sperat ac sibi pollicetur. P. P. Mersburgi VII Idus
Decembr. CIO IDC XCI.

Xa

2142 6A

110



h. 62, 52

x 20

QVOD DE
AVSPICIVM I
REVERENDI
PRINCIP

CHRI
SAXONIA
VIAE ET MO
GRIAE ET WE
LATO ADMIN
MERSBURGIC
GIAE, MARCH
TIAE VTRIVS
BERGIAE, CO
VENSBERG, D
DOMINO S

EX A
PIVS FELIX
TVV

A. D. VIII
MVSAS

M. CHRISTO

TYPIS

TVM

II.
LI.
AN.
STV.
TVS
RIN.
SA.
NE.
RA.
NI,

PE

S.

